

per conscientiam, uti omnia, quæ de animâ nostrâ scimus: vel denique per conjecturam, uti aliorum hominum animas atque intelligentias, cum v. g. ea quæ in nostrâ animâ deprehendimus, etiam in aliorum animis inveniri judicamus.

§. XXIII.

Sed objicere quispiam posset, hisce omnibus admissis planè nullum in homine esse errorem, quia neque intellectus, neque voluntas nos fallere possit. Sed Respond. Errorem esse veritatis privationem & ex eò provenire, quod intellectu & voluntate non legitimè utamur, h. e. quod nostra voluntas aliquid affirmet vel neget, antequam in intellectu istud clarè & distinctè sit conceptum. Sic cum aliquid secundum obscuras sensuum ideas judicamus, v. g. si ex ideâ solis per oculos nobis adveniente ejus magnitudinem decernimus; hæc sensus idea est obscura respectu illius, quam occasione demonstrationum mathematicarum acquisivimus. Conferri hic potest Renatus des Cartes Medit. IV. per totum. Quò talismodi erroribus præcavere possimus donavit Deus nobis liberum arbitrium, hòc mediante intellectui mandare possumus, ut res in utrâque faeie, in omni latere circum circa adspiciat: Hòc mediante voluntatem cohibere possumus, ut nihil neque affirmet, neque neget, antequam intellectus istud clarè & distinctè conceperit. Hinc qui per omnem vitam ab omnibus erroribus immunis esse desiderat, hanc unicam regulam observet; *Nihil judica, nisi quod clarè & distinctè conceperis.*

§. XXIV.

Sed ulterius quasi objicientes audio, quid fiat, si duo eruditi in sententiis sibi invicem contrariantur, & uterque se clare & distinctè sententiam suam concepisse, prætendat? an forsan duæ contradictoriæ sententiæ simul possint esse veræ, uti Judæi statuunt? hi enim putant, si in aliquâ re duo Rabbinii sibi contradicant, utrumque verum esse. Sed attendant quæso, & sciant  $\alpha$ ) in homine non tantum esse potentiam & aptitudinem aliquid concipiendi, sed etiam facultatem imaginandi uti supra monstravimus. Hinc sæpius fit, ut plures suas sententias prætextu claræ & distinctæ conceptionis munire velint, quas tamen si penitus adspiciamus, tantum

*non casus*